Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et de apamia descendentem terminum in re-
blatha. que nunc syrie uocatur antiochia. Et
ut scias reblan hanc significare urbem que
nunc in syria coele nobilissima est. sequitur contra
fontem quem perspicuum est significari dafnen
de quo fonte super dicta urbs aquis ha-
bundantissimis fruitur. Hic autem locus a gneo
pompeio quando primum iudeam romano subegit
imperio militari manu consitus est. et ab eo
iuxta fabulam poetarum. dafnes nomen accepit
ob laurum et cyparissos quarum arborum in ipso loco
frequentissime sunt. Iam inquit peruenient termini contra o-
rientalem plagam ad mare chenereth. usque
ad stagnum tybiadis. Mare autem dixit cum sit dul-
cis aque iuxta ydioma scripturarum que omnes congregationes
aquarum appellant maria. Et tendent inquit
termini usque iordanem. et ad ultimum clau-
ditur mari uel mari mortuo. uel ut alii pu-
tant lingua maris rubri. in cuius litore abila
posita est. ubi nunc moratur legio et presidium roma-
norum. Hoc iuxta nostrorum librum dictum sit. iux-
ta ezechielem uero de medio auran. quod est oppi-
dum damasci in solitudine. et de medio ga-
laad. quod montibus libani collibus copulatur. cecci-
dit in sortem ruben et gad. et dimidie tribus
manasse. et est antiquo femeris et arabie ad quem
montem usque peruenit de carris profectus iacob.
et comprehensus est a laban de quo et hieremias
loquitur galaad tu michi initium lybani. quam cepit
de amorreorum regione galaad filius machyr
filii manasse. finisque huius plage iorda-
nis fluuius discriminans. et mare orientale
quod in hoc loco mare mortuum. non linguam
maris rubri intelligit. Dicamus iuxta
tropologiam. Per terminos aquilonis longo cir-
cuitu per ethalon. et sedala et bethora. sa-
barim quoque et thicon. et auran. et damascum
et atrium enon ab emath usque peruenit ori-

entalis plaga. de medio iracundie au-
ran. et de medio damasci. sanguinis uidelicet
penitentie. et de medio galaath quod interpre-
tatio uel tumulus testimonii. ut per iram et pe-
nitentiam spem salutis ostendat. et deme-
dio terre israel que uisionem continet pacis
usque ad dulcissima iordanis fluenta
pertingat. que longe separato mari limen
orientis consequuntur. ita ut fluuio iorda-
nis qui interpretatur riuus iudicii et orientis
termino finiatur. Quod autem lxx. ponunt phe-
niconos. id est palmeti. in hebreo non habetur.
pro quo nos metiemini interpretati sumus. Er-
rorque manifestus quod propter hanc modum littere
decepti similitudine. daleth. et res legerunt
thamoreu. Plaga autem australis meridia-
na a thamar usque ad aquas contradictionis
siue ad aquas mariboth. Hoc enim contra-
dictio siue aiaai kacmoi. hoc est iurgia so-
nant. cades quoque et torrens usque ad mare
magnum. hec est plaga ad meridiem australis.
pro quo in numerorum libro ita scriptum est. incipi-
et a solitudine sin. que est iuxta edom. et ha-
bebit terminos contra orientem mare quod cir-
cuibunt australem plagam. per ascensum scor-
pionis. ita ut transeat et perueniant in me-
ridiem usque ad cades barne. unde egredietur
confinia ad uillam nomine adar. et tendunt
usque ad asemona. ibitque per gyrum terminus
ab asemona usque ad torrentem egypti
et maris magni litore finietur. Quod breuiter
hoc significat. ne per occasionem ezechielis
ad expositionem iudeam numerorum transis-
se latissimam a solitudine sin. que est iux-
ta edom. et mari rubro terminum circui-
re. et per ascensum scorpionis. et per senna. et
cades barne. et atrium addir. et assemona
peruenire usque ad torrentem egypti. quod